



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quinam in specie obligantur solvere decimas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO III.

De iis, qui obligantur solvere decimas, & ijs qui per privilegium sunt exempti.

§. I.

Quinam in genere teneantur solvere decimas?

Omnes fideles baptizatos, qui in spiritualibus subiecti sunt alicui parochio, à quo Sacramenta recipere debent, obligatos esse per se, & ex debito personali ad dandas decimas, nisi legitimo aliquo titulo sint immunes, communissima T. T. & CC. sententia docet, & probatur tum ex jure *c. transmissa 23. Et c. à nobis 24. h. t.* tum ex ratione, quòd decimæ solvantur in stipendium sustentationis pro spirituali cura à parochis & ministris Ecclesiæ præstanda; ex reali verò obligatione ad decimas solvendas obligantur, qui rem obnoxiam antea decimis de facto obtinent, cujuscunq; status, conditionis, ordinis ac dignitatis sint, nisi legitime sint ab his dandis exempti, cum res, quæ de jure est decimabilis, cum hoc onere transeat ad quemcunq; transit. Et hinc quamvis Judæi & alij non baptizati, personali obligatione non teneantur ad solvendas decimas, cum non sint subiecti Ecclesiæ, & consequenter parochi v. g. eorum pastores non sint, obligari tamen possunt obligatione reali, vi illius scilicet rei, quæ prius, antequam ad eas pervenerit, decimas præbebat Ecclesiæ, & nunc in eorum est possessione *c. de terris 16. h. t. Et c. quanto 18. de usu-*

ris. si tamen dimittere talia prædia v. g. nolint prout ex citato c. de terris colligitur.

§. II.

Quinam in specie obligentur solvere decimas, vel non?

De clericis dubitatur 1. utrum etiam hi solvere decimas teneantur, cum de clericis dicatur, novum genus exacti-
onis esse, si clerici à clericis decimas exigant *c. novum genus. 2. h. t.* Respondetur tamen 1. Summum Pontificem per se, & ex debito personali non obligari posse ad solvendas decimas, cum nulli ordinario pastori in spiritualibus substat, per accidens tamen fieri posse, ut etiam ille obligatione reali obligetur ad decimas dandas vi bonorū patrimonialium v. g. ad decimas dandas obligatorum prius quam ille fieret Pontifex; quod ipsum etiam de Episcopis, & Ecclesiarum rectoribus, ac parochis dici debet, non obligari scilicet eos ex debito personali ad decimas dandas, cum nullum jus aut consuetudo eos obliget, obligari verò nonnunquam ex debito reali, ratione bonorum suorum patrimonialium ad decimas solvendas jam prius obligatorum, cum ab hoc onere rebus imposito non eximat Episcopatus, aut parochi ratio. De illis verò clericis, qui non ministrant divina alijs fidelibus ex officio, satis quidem certum est, quòd ex redditibus suis, quos titulo beneficij, ut clerici, percipiunt, nullas alijs clericis decimas persolvant, quod solum volunt citata verba *c. novum*, & desumpta ex antiquo testamento de Levitis decimas non solventibus, paritas probat: de alijs verò proventibus titulo

A a a a a

rem-